

EPISTULA LEONINA

CVIII

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CVII** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTAVAM (108) !

ARGUMENTA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Cara Lector,

maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam octavam. Leonem laboribus scholaribus obrutum habeas excusatum, quod septimanā proximā praeteritā Epistulam êdere non valuit. Ignoscas, quod frustra exspectavisti.

*En novum argumentum: agimus nunc **de auribus deque auditu** necnon de audiendi defectu, id est **de surditate** (κωφότης, ἀνάκουσις). Primo explicabimus, quomodo audiamus. Proximā in Epistulâ Leoninâ leges de surditate Ludovici van Beethoven. Traditae sunt duae epistulae necnon testamentum eius, quibus apertē loquitur de hōc malo gravissimo. Sequetur relatio cuiusdam medici otologi, qui explicat, quomodo surditas Beethoveniana effecta sit.*

*Denique plurimum tibi commendo duas fabulas, quas **Paulus Kangiser** cooperator nostri benevolus atque industrius, ex Hispanico sermone convertit in Latinum:*

»De Ponte ad caelum ferente« et »De violinistâ apud leones versante«

Tu autem pancraticē vale et perge mihi favere!

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Dominico, 12. m. Iunii, a.2016**




אתפתח НЕРНАТАЧ ΔΙΑΝΟΙΧΘΗΤΙ ADAPERIRE !

MARCUS 7,31-37. [31] Καὶ πάλιν ἐξελθὼν ἐκ τῶν ὁρίων Τύρου ἥλθεν διὰ Σιδῶνος εἰς τὴν θάλασσαν τῆς Γαλιλαίας ἀνὰ μέσον τῶν ὁρίων Δεκαπόλεως. [32] Καὶ φέρουσιν αὐτῷ κωφὸν καὶ μογιλάλον, καὶ παρακαλοῦσιν αὐτὸν ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα. [33] καὶ ἀπολαβόμενος αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ὄχλου κατ' ιδίαν ἔβαλεν τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὡτα αὐτοῦ καὶ πτύσας ἥψατο τῆς γλώσσης αὐτοῦ, [34] καὶ ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐστέναξεν, καὶ λέγει αὐτῷ Ἐφφαθά, ὅ ἐστιν Διανοίχθητι: [35] καὶ ἤνοιγησαν αὐτοῦ αἱ ἀκοαί, καὶ ἐλύθη ὁ δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτῷ, καὶ ἐλάλει ὁρθῶς: [36] καὶ διεστείλατο αὐτοῖς ἵνα μηδενὶ λέγωσιν: ὅσον δὲ αὐτοῖς διεστέλλετο, αὐτοὶ μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυξσον. [37] καὶ ὑπεροπερισσῶς ἐξεπλήσσοντο λέγοντες Καλῶς πάντα πεποίηκεν, καὶ τοὺς κωφοὺς ποιεῖ ἀκούειν καὶ ἀλάλους λαλεῖν.

MARCUS 7,31-37. [31] Et iterum exiens de finibus Tyri venit per Sidonem ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. [32] Et adducunt ei surdum et mutum et deprecantur eum, ut inponat illi manum [33] et adprehendens eum de turba seorsum misit digitos suos in auriculas et expuens tetigit linguam eius [34] et suspiciens in caelum ingemuit et ait illi: »Eppheta« quod est »Adaperire!« [35] et statim apertae sunt aures eius et solutum est vinculum linguae eius et loquebatur recte. [36] Et praecepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant [37] et eo amplius admirabantur dicentes: »Bene omnia fecit et surdos facit audire et mutos loqui«.

QUOMODO AUDIAMUS

<http://www.tz-wien.at/Informationen/wie%20funktioniert%20das%20horen.htm>



Conspectus auris

Lege supra, a sinistris: Ohrmuschel = auricula – äußerer Gehörgang = meatus acusticus externus – Gehörknöchelchen = ossicula auditoria – Hammer = malleus – Amboss = incus – Steigbügel = stapes – Innenohr = auris interna –

Lege infra, a sinistris: Trommelfell = membrana tympanica – Mittelohr (Paukenhöhle) = auris media – ovales Fenster = fenestra ovalis – Eustachische Röhre = Tuba Eustachii

Si qui sonus ad aurem nostram pervasit, ab eâ receptus pertractatur. Deinde signale per **nervum auditorium** mittitur ad cerebrum nostrum. In cerebro res audita denuo pertractatur. Itaque inter se distinguendae sunt **auditio** (functio aurium) et **animadversio** (functio cerebri).

Auditio


Auris dividitur in partes tres: in **aurem externam** et **mediam** et **internam**. Unda sonora **auriculâ** recepta per meatum auditorium externum ducitur ad **membranam tympanicam**. Membrana tympanica est membrana tenuis, quae, si quâ undâ sonorâ appellitur, ita incipit oscillari ut membrana megaphoni.




Ecce membrana tympanica

Oscillatio membranae tympanicae transfertur ad **ossicula auditoria**, id est ad **malleum** et **incudem** et **stapedem**.


Stapede, quod est ultimum trium ossiculorum auditivorum, auris interna liquore completa ita apprimitur ut pistillo. Hac appressione unda sonora transfertur ad aurem internam. Organum autem audiendi proprium appellatur **cochlea**.




Quomodo undis sonoris moveantur membrana tympanica et ossicula auditoria



Ecce cochlea – organum audiendi auri internae insitum




ECCE COCHLEAE SECTIO TRANSVERSA: Pariet cochleae osseus – scala vestibuli – ductus cochlearis – membrana tectorialis – membrana basilaris – scala tympani – ganglion spirale – organum Cortianum – nervus cerebri octavus = nervus vestibulocochlearis



Cellulae ciliatae auri internae insitae

Cochleae auditoriae insunt parvae cellulae, earum superficie cilia subtilia; itaque vocantur **cellulae ciliatae**. Quibus cellulis unda sonora adveniens permittatur in signum electricum, quod per nervum auditorium transmittitur ad cerebrum.




Impulsus electricus, qui a cellulâ ciliatâ transfertur ad nervum auditorium.

Animadversio

Ergo auditio est actio quadamtenus simplex. Multo intricatior minusque investigata sunt ea, quae in cerebro nostro fiunt de impulsibus. Nam necesse est complures stationes percurrentur, antequam impulsûs nervorum accedant ad **corticem cerebri**. In viâ quae illuc fert, omnia, quae audimus, aut augmentur aut diminuuntur, existimantur, utrum sint negativa an positiva an neutralia, immo nonnulla possunt percolando prorsus absumi. Nulla signalia animadvertisuntur nisi ea, quae profecto contingunt corticem cerebri.

Ut exemplum afferamus: Omnis nostrum cottidie degluttit bis vel ter milies. Sonus glottitus volumine est ferê 30 dB (triginta decibellianorum); ergo degluttitione apparenter maior sonus efficitur quam tinnitus aurum. At nisi nobis conscientes ad degluttitionem animum attendimus, eandem non audimus, quia hic sonus systematis colatoriis cerebri nostri cognoscitur esse solitus ideoque colando absumitur. Itaque hic sonus cum corticem cerebri non attingat, a nobis non animadvertisitur – nisi nobis conscientes animum ad eundem attendimus. Hae stationes, quas signalia auditiva per viam a cochleâ ad corticem cerebri ferentem percurrent, maximè valent ad effectum tinnitus aurum sive levem sive gravem.



Ecce via auditiva: via, quae fert a cochleâ ad corticem cerebri

Schnecke = **cochlea** – Hörnerv = **nervus auditorius** – Hirnstamm = **truncus cerebri** – Mittelhirn = **mesencephalon** – Hirnrinde = **cortex cerebri**

SITUM INTERRETIALEM, CUIUS TITULUS EST

“WIE FUNKTIONIERT DAS HÖREN?”

<http://www.tz-wien.at/Informationen/wie%20funktioniert%20das%20horen.htm>

**E THEODISCO SERMONE
IN LATINUM CONVERTIT**

NICOLAUS GROSS



LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.com/>

DE PONTE AD CAELUM FERENTE

Historiola pueris dicata... necnon adultis fidei plenis¹

Festum sollemne Primae Communionis instabat in Sororum Caritatis schola. Sorores puerorum vestibus atque manteliis et ornamenti liturgicis acu pingendis festinanter incumbebant, nam haec omnia in praestantissima celebratione usui erant. Soror se ipsa felix magistra iudicari poterat: discipuli fidei et veritatis studio inter se certabant; pietas in eorum cordibus fulgebat.

Attamen unus erat discipulus qui eam sollicitabat: Lucas, aliquatenus segrex atque pigerrimus in pensis scholaribus agendis. Quamquam pius et bono corde erat, tamen de perpessionibus, de angoribus deque cottidianis incommodis continenter queritabatur.

Cum mater mane eum expergefaciebat, linteis se involvebat et dormire pergebat. Monitus ut surgeret, se leviter aegrotare summa arte simulabat eo consilio, ut in lecto parumper maneret.

In schola pensa numquam opportune afferebat et cum potuit examina fugiebat. Olim ab examine cum se liberare voluisse, raram paralysim simulavit, qua graphium manu tenere impediebatur. Tunc magister oraliter eum interrogare intendit, sed frustra, quia Lucas se graviter ex cruribus laborare dixit adeo, ut pedibus dum interrogaretur stare non posset et cum sedere iussus esset, affirmavit se ex tergo graviter dolere.

Soror Stella de ha re sollicita cum matre abbatissa allocuta est; ambae adolescentulum contumacem crucifixo donare decreverunt; praeterea monuerunt, ut cottidie antequam dormiret de Domini Iesu Christi doloribus et passione meditaretur.

“Quid faciam hac cruce?” ipse ex se quaerebat monitionum immemor. Soror Stella mihi hanc rem non penitus enodavit. Nunc gravi somno capior...

Crucifixum in mensula nocturna leniter reliquit, caputque dedit pulvinari et dormivit.

Per somnum vidit condiscipulos excursionem facientes ad eum locum, ubi convivium paratum erat. Attamen priusquam eo frui potuerunt, laborem exanclare debuerunt gravissimum: iisdem cruces ligneae longo itinere erant

¹ “Un puente hacia el cielo; historia para niños ...o adultos llenos de fe?” Historiola sumpta ex ephemeride menstrua c.t. *Heraldos del Evangelio*, N°153, abril 2016; scripsit soror Diana Milena Devia Burbano, EP; **Paulus Kangiser ex Hispano sermone in Latinum vertit.**

portandae. Lucas, qui suam fore levissimam speraverat, stupefactus est, cum crucem acciperet, quae sibi visa est enormis et immodica. Quamquam Lucas valde querebatur, tamen iter ei faciendum fuit, et ambulavit ore querulo, pedibus lentissimis.

Post breve tempus de sua sorte indignatus ad viae marginem consedit, ut sua redintegrarentur. Caput levavit videntque discipulos, quibus invidebat: alii in itinere sermocinabantur, alii cantabant vel precabantur. “Istae cruces sunt leves” putavit “nam si tam graves essent quam mea, illi non tam hilariter progrederentur”.

Tum “certe” sibi dixit “me iuvabit partes extremas crucis secando auferre, ut levior fiat; deinde ibo festinantius”.

Postquam extrema crucis caute serra abstulit, amicis appropinquavit, quibuscum iter perrexit, pro certo habens neminem fraudem animadvertisse.

Attamen crux adhuc erat gravissima. Duro labore duraque tempestate Lucas denuo profligatus est. Condiscipuli eum incitabant, ut pergeret eique aquam et cuppedia offerebant, sed Lucas in umbra alicuius bambusae accubuit angori tristitiaque deditus. Praeterea pueros videbat cum crucibus suis procedentes aliquosque labi vel cadere sub crucis pondere, sed, viribus redintegratis et nomine Mariae Sanctissimae invocato, incedere pergentes.

Lucae persuasum erat crucis magnitudinem esse adhuc ingentem, quapropter in frutices se caute abdidit et extrema crucis denuo absecuit.

“Ah, nunc est perfecta” exclamavit.

Doloso artificio superbus iter perrexit. Sed labore et pigritia denuo affectus eodem remedio usus est; paulatim crux deminuebatur.

Sub vespere discipulorum grex ad clivum pervenit, quo in extremam montis altitudinem ducebatur. Lucas adeo fessus erat et iratus, ut statim cruci palum et lignum transversum iterum atque iterum secando deminueret. Cum condiscipuli eius expedite ascenderent, ipse crucem aegre vehebat, quae nunc palma minor facta erat.

Cum ad culmen pervenissent, mirum spectaculum ante oculos apparuit: caelum terram tangere videbatur et in horizonte apparebant valles, montes collesque, quorum in cacuminibus erant castella et magnificae arces. In opposito monte sationes et horti inter lacus formositate incomparabili splendebant, passeress pipiabant amoenissimas cantilenas, pueris et angelis comitantibus, qui carmina canebant gaudibundi; hi omnes convivio fruebantur, ad quod discipuli vocati erant, qui ante illam mirificam scaenam admirantes constiterunt; quos cum

convivae, qui ibi erant, vidissent, eos appellando invitaverunt, ut in beatissimo convictu etiam versarentur.

At prius necesse erat praecipitum horribile transire. Ad transitum autem faciendum necesse fuit, ut unusquisque cruce sua pontem faceret. Singuli pueri abyssum periculosum superaverunt. Lucas attonitus atque stupefactus aliquem audivit ab opposita ora se vocantem:

“Huc veni! Tu unicus dees; cruce ponte utere!”.

At crux Lucae tam deminuta erat dolosis sectionibus, ut ne uno quidem gradu per eam transire posset. Quonam modo hac crucicula transiret? Maestitia et angore puer adeo affectus est, ut exergisceret lacrimis perfusus.

Postridie, multo mane, Lucas indutus et exornatus cucurrit ad sororem Stellam in schola versantem. Eadem inventae totum somnum narravit promisitque fore, ut in posterum neque incommoda vitaret neque res adversas fugeret. Gratias agens pro dono accepto dixit:

“Nunc intellego crucem esse unicum pontem, qui ferat ad caelum”.

Finis

Violinistae quid factum sit apud leones

In Africa aëroplanum olim de caelo cecidisse fertur et ob collisionem aëroplanigam et adiutrices et viatores periisse, praeter unum, qui quoad potuit sospes per silvam ambulare coepit, auxilium quaesiturus; is erat violinista, qui violinam suam noluit derelinquere. Dum ambulat per silvam, primo leo ferus et fortiter rugiens apparuit, deinde reliquus leonis gressus, omnes infestissimi; miser violinista diem suum obire ultimum credidit neque voluit omittere id quod omnibus rebus plus amabat: violinam igitur e capsula sumpsit eaque canere coepit; quod effectum habuit mirificum: nam leones sedati sunt modosque musicos audire videbantur, necnon aliae bestiae ferae, velut hyaenae et herbivorae, velut camelopardales atque simii cervique; hi omnes una accubuerunt modosque musicos vere audiebant, qui adeo erat suaves et dulces, ut quies et pax in tota silva regnarent. Attamen repente advenit quidam leo infestissimus, qui in violinistam insiluit et morsibus laniavit ac necavit; omnes istum interfectorum vituperaverunt et accusarunt, qui tam saevus egisset, praeter leonem senem, qui reliquos gregis quadrupedes bene noverat et pro reo haec dixit: “Abest iste” – inquit - “a culpa: surdus est”.

Finis

**HISTORIOLAM
PONTIS AD CAELUM FERENTIS
NECNON
FABELLAM
VIOLINISTAE APUD LEONES VERSANTIS
EX HISPANICO SERMONE IN LATINUM
CONVERTIT
PAULUS KANGISER
CHILIANUS IACOBOPOLITANUS
(*SANTIAGO DE CHILE*)**

ECHUS VOCES

MARCUS AVENARIOLUS (*i.e. Markus Häberle, director studiorum*)

Care Leo Latine, gratias plurima tibi ago. Recte me nomen meum Latine reddens „Avenarium“ appellas. Collega quidam me etiam formam diminutivam nominis mei imitans „Avenariolum“ nominavit, quod libenter accepi. - Fortiter adeamus reliquos anni scolastici labores! Mox dulce otium nos amplectetur, quo liberi erimus ad illa legenda atque scribenda, quae nobis vere cordi sunt! Vale! Avenariolus.

RADULFUS LAVALLE ARGENTINUS

d.29 m.Maii a. 2016 h.23:13

Vir doctissime, Res mira, quam scribis. Ut video, variae formae sunt scribendi “zocolatam.” Sic olim, nisi fallor, scriptam inveniebam. Valeas semper, hodiernae Latinitatis gloria! Radulfus

PAULUS KANGISER IACOBOPOLITANUS

D.04.m.Iun..a.2016 h.01:01 scripsit Pablo Kangiser:

Paulus Nicolao s.d. Tibi adiungo historiolam religiosam, pueris catholicis aptam, quam excerpti ex ephemeride c.t. (Hisp.) Heraldos del Evangelio (Evangelii Praeconii, sic se ipsi nominant; non praecones). Si tibi videtur potes edere sub hac condicione ut exemplar Epistulae Leolatinae ad evangelii Praeconios mittas, nam in huius ephemeridis prima pagina haec Hispanice leguntur: “Huius ephemeridis symbola possunt regenerari, dum fons indicetur et exemplar mittatur ad Consilium Redactionis”: heraldos@heraldosdelevangelio.cl Utinam hoc modo eveniat ut EP lectores Epistulae Leolatinae fiant. Adiungo sequenti epistolio delineationes ex eadem ephemeride sumptas. Cura ut valeas.

IOHANNES PETRUS BATAVUS (*Dr. Jan-Piet Knijff*)

d.30 m.Maii a.2016 h.07:53

Iohannes Batavus Leoni sal. Pro symbola nuperrime abs te mihi dedicata – quamquam haud equidem tali me dignor honore – gratias permagnas tibi, mi doctissime Leo, ago. Re vera stupendus est numerus locorum abs te allatorum quibus verbum q.e. *liberi* cum numeris distributivis coniungitur. Mea sane sententia neque auctores Latinitatis argentea quae vocatur neque Laurentius ille Valla sunt respuendi; atque omnino tibi assentior usum numerorum distributivorum haud esse rem tironibus descendam. Restat ut gratias haud minores agam pro historiola illius Alfonsi a collega Iacobopolitano tam scite togata – etsi certo non facile erat idioma Alfonsi (vel etiam narratoris eius tibicinis) in Latinum vertere sermonem – quam multo cum gudio legi.

Cura, mi optime Leo, athletice valeas atque Latinitatem sapientia tua fovere pergas.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipue disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|-------------------------------------------------------------------|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,90 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,90 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeratas, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR.	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE- TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenma tt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptman n	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207 A	978-3-938905-28-	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

		9							
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM OCTAVAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

Die Dominico, 12. m.Iunii a.2016

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>